Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2971

Quelle:
Copyright:

de SS. *Stephano*, *Johanne Evang.* et *Innocentibus*, quae nescio quo errore, et alia quidem manu insertae sunt *fol.* 116. proxime ante *Paschа.* In *Octaua Domini* Codex noster duplicem Missam habet. Missa in *Vigilia Theophaniae* ab edit. abest, item Missa in *Octaba Theophaniae*, et Missa in *Sabbato post Dom. Quinquagesimae.* Missa *Fer.* V. *post Dom. III. Quadrag.* alia est in Cod. alia in Edit. uti et *Fer. V. post Dom. Passionis.* Ritus Hebdomadis majoris in *Cod.* multis rubricis illustrantur, et e *Praefatione Sabbati s.* tempus innotescit, quo scriptus fuit; nominatur enim ibi *Nicolaus* Papa, Rex *H.* et Conjux ejus *Bertha.* Habemus igitur *Henricum* IV. Imp. et *Bertham* primam uxorem ejus, et *Nicolaum* II. qui ab an. 1058. ad an. 1061. Ecclesiae praefuit, ceteris vitam ultra producentibus. Missa *Fer. V. post Pentec.* in Edit. ponitur ad *Fer. VI.* et *Feria* V. dissimulatur. Codex duplicem habet seriem Missarum *Fer.* IV. VI. et *Sabb. quatuor Temporum post Pentec.* alteram scilicet, *Si Ieiunium evenerit extra Ebdomadem P. C.* Missa de *Sancta Trinitate* ab Edit. abest. *Dominicae* XVIII. XIX. et XX. alias Missas habent in Cod. quae vero in Edit. sunt XVIII. — XXIV. in Cod. numerantur XXI. — XXVII. additurque Missa *Dom.* XXVIII. ut adeo *Dominicae post Pentecosten* censeantur XXVIII. non computatis IV. illis, quae post Epiphaniam superesse possunt, et jam supra a *fol.* 88. p. 2. leguntur.

Quod jam *Missas de Sanctis* adtinet, sequentes nec in *Gelasiano* nec in *Gregoriano Muratorii Sacramentario* reperiuntur: *Hilarii*, *Conversio S. Pauli*, *Brigidae*, *Blasii*, *Cathedrae Petri*, *Matbiae*, *Waldburgis*, *Benedicti*, *Ruodberti*, *Ambrosii*, *Adalberti*, *Marci* Evang. *Floriani*, *Gengolfi*, *Maximini*, *Bonifacii*, *Primi* et *Feliciani*, *Barnabae*, *Albani*, *Translatio S. Thomae* Apost. Unde? quo et quando? *Translatio S. Martini*, *Depositio S. Uodalrici*, *Willibaldi*, *Chiliani* cum Soc. *Translatio S. Benedicti.* An Floriacum? an Floriaco ad Montem Cassinum? *Margarethae*, *Hermachorae* et *Fortunati*, *Praxedis*, *M. Magdalenae*, *Apollinaris*, *Christinae*, *Jacobi* Ap. *Christophori*, *Pantaleonis*, *Stephani Invent.* *Afrae*, *Radegundis*, *Bartholomaei* Ap. *Augustini*, *Verenae*, *Adriani*, *Corbiniani*, *Lantperti*, *Matthaei* Ap. *Mauritii* et Soc. *Emmerammi*, *Conceptio Joh. Bapt.* *Natalis Ruodberti*, *Hieronymi*, *Remigii*, *Germani* et *Vedasti*, *Dionysii* cum Soc. *Gereonis* cum Soc. *Galli*, *Lucae* Evang. *Crispini* et *Crispiniani*, *Amandi*, *Simonis* et *Judae* App. *OO. SS.* cum Vig. *Briccii*, *Othmari*, *Columbani* et *Damasi.* Multos horum SS. *Germaniae* esse Indigetes nemo non videt.

Missarum *de Communi SS.* et pro variis *Necessitatibus*, quae magno